

tur. Est hæc sententia plurimorum & Patribus (vide *Matthæum Polum in Synopsi Criticorum ad b. l.*) & ab aliis quoque defenditur, puta à *Cornelio à Lapide Comment. ad b. l.* ex quo defumfit *Erasmus Francisci Part. 1. der lustigen Schaubühne/ p. 36.* *Hugo Grotius* videtur itidem adstipulari, dum ad illa verba: *Et exagitabat eum Spiritus nequam;* addit: *Exteriùs ostendens, quod intus latebat.* Vis etiam verbi Hebraici non repugnat, quò minùs dicamus, Satanam in Saule delitescentem miris eum modis exagitasse, ut fureret, ac velut rabiosus baccharetur. Satis enim constat, quid malo hoc Spiritu arreptus egerit. Insanus scilicet lanceam apprehendens *Davidem* configere annitebatur *1. Sam. XVIII, 10, 11. XIX, 9, 10.* Præterea legitur prophetasse domi, cum Spiritus ille malus à Domino ipsum aliquando invaderet. *1. Sam. XVIII, 10.* Ubi *Chaldæus* locò *Prophetavit* posuit vocem *insanivit.* Et *Arabs* explicavit per: *Pythonom verba protulit.* Hebræi autem apud *Münsterum* reddiderunt: *desipuit,* quod est, more desipientium aliena atque absurda locutus est, uti *Vatablus* rem explicuit: vel ut *Tossanus:* *raofete/ h. e. ratem se gerebat,* quales sunt, qui à Diabolo malè vexantur, sensusque habent corruptos & pessimè depravatos. Unde & *Estius* in *Notis aureis* ad h. l. *Prophetasse dicitur improprie, nempe, quia more arreptitiorum aliena & absurda loquebatur.* Atque id proprie τῶν ἐνεργουμένων est, ut prorsus sibi ignota afferant, quæ sanè non illi ex se loquuntur, sed Diabolus loquitur per eos. Equidem *Levinus Lemnius Lib. II. de occultis natura & mirac. cap. 1. coll. cum Lib. II. de complex. c. 6.* id etiam ex *Melancholiâ* provenire posse statuit. Verum rectiùs *Raphæel de la Torre Diss. XXVII.* hæc vocat *deliria Lemnii* apud *Gisbertum Voëtium Tom. I. Diss. de Energumenis,* qui & alia allegat, quæ huic ejus sententiæ contrariari possunt. Quid autem vaticinatus sit, difficulter quis

quis